

Zeitschrift: Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie

Band: 17 (1903)

Artikel: De concordia physicae praemotionis cum libero arbitrio

Autor: Prado, Norbertus del

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-761795>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 02.02.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

DE CONCORDIA PHYSICAE PRAEMOTIONIS CUM
LIBERO ARBITRIO.

SCRIPSIT

P. NORBERTUS DEL PRADO, Ord. Praed.

I.

1. Controversiam iam illam aggredimur, de qua S. Augustinus lib. 1. de gratia Christi cap. 47: „*Ista quaestio, inquit, ubi de arbitrio voluntatis et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videtur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*“

Et postea scripsit librum unum *de gratia et libero arbitrio*, „*propter eos, qui hominis arbitrium sic praedicant et defendunt, ut Dei gratiam, qua vocamur ad eum et a nostris malis meritis liberamur, et per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perveniamus aeternam, negare audeant et conentur auferre.*“ — „*Sunt quidam, addit, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium.*“ (Cap. 1.)

2. In huius adeo difficilis quaestionis dilucidatione tria magni momenti documenta atque admonitiones a S. Augustino et a Divo Thoma nobis servanda traduntur. — Primo namque, ut minime ea denegemus, quae in controversia sunt aperta seu in perspicuo posita, quia utriusque extremi oppositio non clare videatur conciliari. — Reddenda sunt ergo, quae sunt Dei, Deo; et quae sunt liberi arbitrii, libero arbitrio etiam donanda; quamvis concordia liberi arbitrii cum Dei gratia in obscuritate et mysterio videatur remanere. — Unde S. Augustinus lib. de dono persever. cap. 14: „*Numquid ideo negandum est, quod apertum est; quia comprehendere non potest, quod occultum est? Numquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse; quoniam cur ita sit, non possumus invenire?*“ — Et Divus Thomas ad Rom. cap. 11, lectione 5: „*Etsi enim ipsae creaturae sint homini notae; tamen modi, quibus Deus in creaturis operatur, ab homine comprehendere non possunt.*“

3. Alterum vero documentum in hac liberi arbitrii cum Dei gratia concordia observandum traditur a S. Augustino in libro de gratia et lib. arb. cap. 1. his verbis: „*Itaque, dilectissimi,*

ne vos perturbet huius quaestionis obscuritas, moneo vos primum, ut de iis, quae intelligitis, agatis Deo gratias; quidquid est autem, quo pervenire nondum potest vestrae mentis intentio, pacem inter vos et caritatem servantes a Domino, ut intelligatis, orate; et donec vos ipse perducatur ad ea, quae nondum intelligitis, ibi ambulate, quo pervenire potuistis.“ — Et Divus Thomas de Verit. qu. 6. a. 3.: „In praedestinatione autem invenitur certitudo respectu singularis finis; et tamen causa proxima, scilicet liberum arbitrium, non producit effectum illum nisi contingenter. Unde difficile videtur concordare infallibilitatem praedestinationis cum libertate arbitrii.“

4. Tertium denique documentum traditur a Divo Thoma lib. 1. Perihermen. lect. 14., ubi postquam praeposuit **objectiones** contra liberum hominis arbitrium, 1) ex parte divinae Scientiae, quae non potest falli: „et ita ea, quae ipse (Deus) scit, videtur quod necesse sit evenire“; 2) ex parte divinae voluntatis: „Voluntas enim Dei inefficax esse non potest: videtur ergo, quod omnia, quae (Deus) vult, ex necessitate eveniant“; statim, antequam respondeat directe ostendendo, quod solutio difficultatis inde quaerenda est, unde difficultas oritur, nempe in ipsa infallibilitate Divinae Scientiae ac praesertim in ipsissima efficacia Divinae Voluntatis, admonet nos, de Deo et creaturis nihil praedicari univoce nec quoad **esse**, nec quoad **posse**, nec quoad **operari**. Unde observat sagaciter et profunde: „*Procedunt autem hae objectiones ex eo, quod cognitio divini intellectus et operatio divinae voluntatis pensantur ad modum eorum, quae in nobis sunt, cum tamen multo dissimiliter se habeant.*“

5. Praeterea: quomodo ergo in concordia liberi arbitrii cum gratia ex se efficaci vel cum physica Dei praemotione poteritne aliquis recte procedere, nec ad harmoniam eorum, quae videntur ad invicem opposita et irreductibilia, pervenire, si revera ipsum ignorare contingat *rationem* liberi arbitrii simul ac *rationem* physicae praemotionis? — De physica Dei motione in potentiam et actum liberae voluntatis satis dixisse arbitramur; et quamvis haud pauca de libero quoque arbitrio supra dicta remaneant, attamen non abs re fortasse erit adhuc pressius, *quid sit liberum arbitrium*, definire.

Primo enim: *Liberum* et *necessarium* inter se ad invicem opponuntur. — Necessarium autem per comparisonem ad actus nostrae voluntatis tripliciter potest dici, nempe necessarium necessitate naturali et absoluta, necessarium necessitate finis, et necessarium necessitate coactionis. — Ex his tribus sola necessitas coactionis omnino repugnat voluntati; coactum enim est, quod est

voluntati contrarium. Necessitas autem finis et necessitas naturalis non repugnant voluntati; quoniam necessitas naturalis ex interiori inclinatione ipsius voluntatis procedit; et necessitas finis, quamvis non proveniat ex interiori inclinatione voluntatis, provenit tamen ex ordine ad finem, quem voluntas naturali inclinatione vult. — Violentia seu coactio **involuntarium** causat; necessitas autem naturalis et necessitas finis minime **involuntarium** causant, cum interiorem inclinationem voluntatis praesupponant atque augeant et ad illam reducuntur. — Unde omnis actus voluntatis semper semperque est **voluntarius**; et quantum ad ipsum actum proprium voluntatis, non potest ei violentia inferri. — 1. P. qu. 82. a. 1; 1. 2. qu. 6. a. 4.; lib. 3. cont. gent. cap. 137.

Secundo: *Liberum* ergo et *necessarium* dividunt in duas species actus humanae voluntatis. — Actus enim necessarius et actus liber conveniunt in genere, in hoc scilicet, quod uterque procedit: 1. ab intellectu per potentiam voluntatis; quoniam omnis motus voluntatis praesupponit necessario apprehensionem intellectus; voluntas enim tendit sive necessario sive libere in bonum, prout est ab intellectu apprehensum et voluntati praesentatum; 2. ab intrinseco principio, quod est potentia voluntatis, a qua immediate elicitur; ac proinde uterque actus, tam necessarius quam liber, est spontaneus ac voluntarius. — Unde Divus Thomas de Verit. qu. 24. a. 1. ad 20. ait, quod etiam respectu finis ultimi „*habemus liberam voluntatem; cum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, secundum Augustinum de Civit. Dei lib. 1. c. 20; non autem liberum iudicium, proprie loquendo, cum non cadat sub electione.*“

Tertio: *Liberum et necessarium*, etsi opponantur ad invicem ita, ut se excludant in eodem actu, attamen non se excludunt in diversis specie actibus eiusdem potentiae: immo *necessarium* est fundamentum **liberi**. Etenim voluntas, ut **natura quaedam** est, includitur ipsa voluntate, ut est **voluntas**; et sicut est ordo naturae ad voluntatem, ita se habet ordo eorum, quae naturaliter vult voluntas, ad ea, respectu quorum a seipsa determinatur, non ex natura. Et ideo, sicut natura est voluntatis fundamentum; ita appetibile, quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium et fundamentum. — Si ergo voluntas non eliceret aliquem actum **necessarium**, nullum posset **liberum** elicere. — De Verit. qu. 22. a. 5.

Quarto: Quaelibet autem voluntas naturaliter vult illud, quod est proprium volentis bonum, scilicet *ipsum esse perfectum*; et non potest contrarium huius velle. — Unusquisque vult esse perfectus; et hoc est illud bonum in communi, ad quod voluntas

de necessitate determinatur; hic est ille ultimus finis, propter quem appetit homo omnia, quaecumque vult. — Et quoniam finis se habet in appetibilibus sicut principium in speculativis; inde est, quod voluntas se habet circa finem et circa reliqua omnia praeter finem, sicut intellectus circa prima principia et circa conclusiones. Intellectus non inhaeret naturaliter et ex necessitate nisi primis principiis, et conclusionibus, quae habent necessariam connexionem ad prima principia; similiter voluntas non de necessitate inhaeret nisi ultimo fini, id est *beatitudini*, et illis bonis, quae necessariam dicunt connexionem ad beatitudinem; atque simul cuius connexionis necessitas appareat evidenter manifesta ipsi voluntati. Quapropter **in via**, cum non cognoscamus Deum nisi in speculo et in aenigmate, voluntas non ex necessitate Deo inhaeret, nec his quae Dei sunt. Sed voluntas videntis Deum per essentiam de necessitate inhaeret Deo, sicut nunc ex necessitate volumus esse beati. — 1. P. qu. 83. a. 2.

Quinto: Unde in homine sicut se habet potentia cognoscitiva, ut **intellectus**, ad seipsam, ut **ratio**; ita se habet potentia volitiva, ut **voluntas**, ad seipsam, ut **liberum arbitrium**. — Eiusdem potentiae est intelligere et ratiocinari, sicut eiusdem virtutis est quiescere et moveri; et eiusdem potentiae est velle et eligere. Velle et eligere sunt quidem actus diversi specie; non tamen pertinent ad diversam potentiam, sed ad eandem. — Voluntas est appetitus intellectivus et rationalis; secundum quod bonum naturaliter vult, respondet intellectui naturalium principiorum; secundum vero quod bonum libere vult, respondet rationi, quae ad opposita se habet. — 1. P. qu. 82. a. 1. et qu. 83. a. 4.

6. Si nunc igitur potentiam liberi arbitrii sub forma definitionis voluerimus considerare, hae quidem, quae subsequuntur, tamquam optima, profunda ac valde philosophicae adducuntur atque ponderantur ab ipso Angelico Doctore. — Quarum sit

Prima: *Liberum est, quod sui causâ est.* — Haec enim definitio affertur a Philosopho lib. 1 Metaphysicorum, ubi ad ostendendam dignitatem Metaphysicae supra omnes humanas scientias ait: „*Sed, quemadmodum dicimus: homo liber, qui suimet et non alterius causâ est; sic et haec libera est scientiarum, siquidem sola haec suimet causâ est sive suiipsius gratiâ est.*“ — Quam probationem explanans Divus Thomas lect. 3. addit: „*Hic probat (Philosophus), . . . quod ipsa (sapientia seu Philosophia Prima) sit libera, et utitur tali ratione. Ille homo proprie dicitur liber, qui non est alterius causâ, sed est causâ suiipsius. Servi enim dominorum sunt, et propter dominos operantur, et eis acquirunt, quidquid acquirunt. Liberi autem homines sunt*

sui ipsorum, utpote sibi acquirentes et operantes. Sola autem haec scientia est propter seipsam: ergo ipsa sola est libera inter scientias.“

Unde de ratione liberi est: 1) non ordinari ad aliud tamquam ad causam finalem; 2) non subesse sub potestate alterius; 3) esse supra omnes; 4) esse dominum sui ipsius quoad **esse**, quoad **posse** et quoad **operari**. — Inquirite inter omnia, quae existunt in universo mundo, quibus convenient vel non convenient huiusmodi quatuor characteres; et illa, quibus conveniunt, sunt libera; illa autem, quibus non conveniunt, libera non sunt; illa quibus magis conveniunt, maioris erunt libertatis; et sic ascendendo usque ad aliquod Unum, cui soli simpliciter et absolute et per se illa quatuor competunt, et in quo refulget plenitudo Libertatis; et hoc Unum, quod est *Liberum per essentiam*, omnes intelligunt Deum.

Haec autem prima liberi arbitrii definitio est omnium altior ac profundior, utpote continens omnium aliarum supremam rationem. Multis in locis a Divo Thoma declaratur, 1. P. qu. 83 a. 1., de Verit. qu. 24. a. 1. et alibi. Verumtamen qui longitudinem, latitudinem et profunditatem praedictae definitionis perspicere desideret, adeat 1. P. qu. 2. a. 3. et qu. 18. a. 3.; et 1. 2. qu. 1. a. 2.; quoniam isti tres Articuli constituunt verissimum commentarium huiusce veritatis: *Liberum est, quod sui causâ est*.

Solus Deus est causâ sui; omnia alia, praeter Deum, sunt causâ Dei. Solus Deus existit et operatur gratia sui; cetera omnia praeter Deum existunt et operantur gratia Dei. — Solus Deus non ordinatur ad aliud; cum ipse sit causa finalis, ad quam ordinantur omnes res. Solus non subest sub alterius potestate; cum ipse sit, a quo est omnis potestas in coelo et in terra. Solus est supra omnia; cum omnia sint ab ipso et per ipsum et sub ipso et in ipsum. Solus Deus est verus dominus sui ipsius quoad **esse**, quoad **posse** et quoad **operari**; quia solus ipse est Primum Movens, quod a nullo movetur, et a quo cuncta moventur; et Prima Causa efficiens, quae nullam habet causam, et a qua omnes aliae causae causantur et efficiuntur; Ultima Causa Finalis, quae nullum habet finem, et ad quam omnes fines velut quaedam media ordinantur.

Solus Deus est Actus Purus, qui a nullo alio agitur, et a quo universa aguntur. — Quoniam omnia, etiam ipsa, quae se agunt et se in agendo movent, ab Ipso accipiunt: 1. potestatem se movendi et agendi; 2. principium et finem intra quos, velut terminos se movent, dum agunt; et 3. ipsum esse et ipsum vivere et ipsum moveri, quae immediate immediatione virtutis causantur a Deo. — Unde Divus Thomas 1. P. qu. 60. a. 1. ad 2.: „*Dicendum quod omnia, quae sunt in toto mundo, aguntur ab*

aliquo; praeter Primum Agens, quod ita agit, quod nullo modo ab alio agitur: in quo est idem natura et voluntas.“

Cetera vero omnia agunt se plus minusve, secundum quod elongantur a materia, quae est pura potentia in linea entis, et appropinquant ad Deum, qui est Actus Purus in omni genere perfectionum, quoniam est Actus Purus in ordine essendi. — Et sicut in plantis dicitur esse ultima resonantia vitae; pari modo dici potest, quod in brutis coruscare incipit prima umbra libertatis; quamvis, proprie loquendo, primus gradus libertatis, incipiendo ab imperfectiori, ibi revera adest, ubi refulget vita rationalis, quae est quaedam participata similitudo Luminis Increati, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. — Quapropter Divus Thomas 1. 2. qu. 1. a. 2.: „*Ideo proprium est naturae rationalis, ut tendat in finem, quasi se agens vel ducens ad finem; naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta et ducta; sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia; sive in finem non apprehensum, sicut ea, quae omnino cognitione carent.*“ — Unde definitio liberi arbitrii.

7. Secunda est: „*Facultas voluntatis et rationis.*“ — Quam quidem liberi arbitrii definitionem adeo graphicam et syntheticam ubique passim repetere et explicare amat Angelicus Doctor sive in Summa Theologica sive in Quaest. Disput. sive in Commentariis supra libros Sententiarum. — Ex illa infertur, liberum arbitrium esse tamquam in sua radice in intellectu; et in voluntate tamquam in proprio subiecto. Radix enim proxima atque immediata actus liberi est amplitudo et capacitas voluntatis ad omne bonum, ad bonum universale. Propterea ait Divus Thomas 1. P. qu. 105. a. 4: „*Potest autem voluntas moveri sicut ab obiecto a quocumque bono; non autem sufficienter et efficaciter nisi a Deo; non enim sufficienter aliquid potest movere aliquod mobile, nisi virtus activa moventis excedat vel saltem adaequet virtutem passivam mobilis. — Virtus autem passiva voluntatis se extendit ad bonum in universali; est enim eius obiectum bonum universale, sicut et intellectus obiectum est ens universale. Quodlibet autem bonum creatum est quoddam bonum particulare; solus autem Deus est bonum universale.*“

Radix autem prima remota intrinseca huius infinitae capacitatis nostrae voluntatis est ipsa immaterialitas ac elevatio animae rationalis; et radix proxima est amplitudo intellectus et universalitas eius in cognoscendo et iudicando de omnibus. Quamobrem Divus Thomas 1. 2. qu. 2. a. 8.: „*Obiectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est universale bonum; sicut obiectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod*

nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo; quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest."

Exinde est, quod Divus Thomas totam rationem libertatis ex modo cognitionis affirmat dependere et totius libertatis radicem in ratione esse constitutam; et secundum quod aliquid se habet ad rationem, sic seipsum se habere asserit ad liberum arbitrium. Unde in brutis est quaedam similitudo liberi arbitrii, sicut est quaedam similitudo rationis. — In homine liberum arbitrium plenarie invenitur et proprie loquendo; quia ratio plene et perfecte invenitur solum in homine.* — In angelis liberum arbitrium est excellentius quam in hominibus, sicut et intellectus. — In Deo autem liberum arbitrium excellit supra omnem modum; quia ubicumque est intellectus, est liberum arbitrium; et Dei natura est ipsum eius intelligere. — 1. P. qu. 18. a. 3; qu. 19. a. 10; qu. 59. a. 3.; et de Verit. qu. 24. a. 2. — Atque ex hoc procedit alia liberi arbitrii magis pressa definitio, quae est:

8. Tertia, scilicet: „*Liberum de ratione iudicium*“. — Hanc liberi arbitrii definitionem tradit Divus Thomas lib. 2. contra gentes cap. 48; et illam evolvit, dum ostendit in hoc loco, substantias intellectuales esse liberi arbitrii in agendo. — Sunt enim res, quae nullum habent iudicium de agendis, sicut lapides et plantae, quae absolute cognitione carent. Sunt autem res, quae habent de agendis aliquod iudicium, sicut bruta, quae naturali aestimatione iudicant; sed iudicium in eis non est liberum, sed a natura determinatum ad unum. — Sunt autem res, quae habent perfectum iudicium de agendis, non ex naturali tantum instinctu in particulari, sed ex collatione rationis, quae potest in diversa ferri; non a natura determinatum, sed determinatum ex eo, quod seipsas in iudicando movent: ut creatura rationalis. — Unde in plantis et inanimatis nullum est de agendis iudicium; in brutis animalibus iam adest aliquod iudicium de agendis, at non liberum, sed determinatum ad unum per naturam; in creatura vero rationali reperitur iudicium de agendis ex eo, quod in iudicando seipsam movet, et per iudicium seipsam determinat ad volendum hoc vel illud. — Unde essentialis ratio liberi arbitrii oritur ex hoc, quod libere agens se ad iudicandum movet, se ad iudicandum agit, suumque iudicium cognoscit et supra suum tam intellectus quam voluntatis potest se reflectere. — Idcirco, ubicumque est indifferentia iudicii de agendis, ibi est dominium proprii actus, ibi liberum arbitrium, quod definitur: „*Liberum de ratione iudicium*“. — 1. P. qu. 83 a. 1. de Verit. qu. 24. a. 2.

9. Quarta autem definitio liberi arbitrii est: „*Potentia ad oppositos actus se habens*“. — Hanc liberi arbitrii definitionem, quae infertur ex antecedentibus, quaeque affertur etiam a Philosopho lib. 9. Metaph. declarat Angelicus Doctor in eodem loco lect. 2 dicens: „*In potentiis irrationalibus, quando passivum appropinquat activo in illa dispositione, qua passivum potest pati et activum potest agere, necesse est quod unum patiatur et alterum agat; ut patet, quando combustibile applicatur igni. — In potentiis vero rationalibus non est necessarium; non enim necesse est aedificatorem aedificare, quantumcumque sibi materia appropinquaret.*“ — Itaque in hoc, quod dicitur: *ad oppositos actus se habere*, significatur: 1) quod libere agens potest agere vel non agere; 2) quod, posito quod agat, potest agere hoc vel illud. Primum vocatur oppositio seu indifferentia contradictionis; alterum oppositio seu indifferentia contrarietatis. — Ubicumque reperitur iudicium de agendis, ibi licet reperire praedictam utramque indifferentiam, quae mensuratur per ipsam perfectionem libere agentis in iudicando. — Unde bruta possunt agere vel non agere unum et idem, secundum suum iudicium; possunt enim agere, si iudicant ex naturali aestimatione *esse agendum*; vel non agere, si non iudicant. Sed 1) non dependet a brutorum appetitu iudicare vel non iudicare; 2) si de facto iudicant ex naturali instinctu, iudicium eorum est semper determinatum ad unum; et per consequens et appetitus et actio ad unum determinatur. — Creatura autem rationalis 1) habet in potestate sua iudicare; nam appetitus, qui est voluntas, movet *quoad exercitium* intellectum, ut inquirat ac iudicet; 2) cum intellectus per suum iudicium movet *quoad specificationem* seu *determinationem* actus ipsam voluntatem, ita movet **ad unum**, ut adhuc relinquatur in potestate ipsius voluntatis acceptare vel non acceptare dictamen practicum rationis; quoniam potest movere intellectum ad rursus inquirendum ac de novo alio modo iudicandum. — Consequenter nec iudicium ex collatione rationis est determinatum **ad unum**; nec appetitus et actio creaturae rationalis ad unum determinatur de necessitate. Itaque in homine est indifferentia ad agere vel non agere, dupliciter: uno modo, considerata ipsa actione secundum seipsam; alio modo, considerato ordine ipsius actionis ad iudicium, a quo provenit. De Verit. qu. 24. a. 2.

Rursus: *Ad oppositos actus se habere* idem significat ac *Ad utrumlibet esse*; et iam supra explanatum manet ex Divo Thoma lib. 1. c. gent. cap. 82, quod ad utrumlibet esse potest convenire alicui virtuti operativae ex parte ipsius, vel ex parte eius ad quod dicitur. — Indifferentia vel indeterminatio ad

agendum, si consideretur ex parte potentiae, involvit imperfecti-
 nem, mutabilitatem et potentialitatem passivam; si vero attendatur
 ex parte eius, ad quod dicitur, importat eminentiam virtutis
 operativa, dominium sui actus, et dominium supra obiectum, a
 quo actus specificatur. — Quapropter ait D. Thomas de Verit.
 qu. 24. a. 3. ad 3: „*Voluntas divina se habet ad opposita, non
 quidem ut aliquid velit et postea nolit, quod eius immutabili-
 tati repugnaret; nec ut possit velle bonum et malum, quia
 defectibilitatem in Deo poneret; sed quia potest hoc velle et non
 velle.*“ — Idcirco liberum arbitrium in creatura, etsi exprimat
 excellentiam potentiae operativae, semper tamen habet aliquid
 adiunctum potentialitatis et mutabilitatis et defectibilitatis; non
 quia liberum est arbitrium, sed quia est arbitrium liberum creatum
 ex nihilo. Sicque indeterminatio atque indifferentia potentiae liberi
 arbitrii est duplex: **activa** et **passiva**. Activa augetur per actum,
 passiva vero aufertur. Unde D. Thomas lib. 9. Metaph. lect. 2.
 docet cum Philosopho, quod indeterminatio potentiae rationalis,
 quae se habet ad opposita, determinatur per electionem. „*Necesse
 est, praeter potentiam rationalem, quae est communis ad duo
 contraria, poni aliquid, quod appropriet eam ad alterum faci-
 endum ad hoc, quod exeat in actum. Hoc autem est electio,
 quae pertinet ad rationem. Quod enim aliquis considerat, hoc
 facit; ita tamen, si existit in dispositione, qua est potens agere
 et passivum adsit. — Unde sicut potens potentia irrationali
 necessario agit, passivo appropinquante; ita omne potens se-
 cundum rationem, necesse est quod faciat, quando desiderat
 illud, cuius habet potentiam, et eo modo quo habet.*“ — Inde

10. Quinta definitio liberi arbitrii est: „*Facultas electiva
 mediorum, servato ordine finis.*“ — Hanc definitionem tradit
 Divus Thomas 1. P. qu. 62. a. 8. ad 2. et ad 3. et declarat ex
 professo qu. 83. praesertim a. 3., in quo ostendit, quod naturam
 liberi arbitrii oportet ex electione considerare. — Quam quidem
 declarationem complet 1. 2. qu. 6. a. 1., dum demonstrat, liberum
 esse illud agens, quod *habet in seipso principium sui actus,
 non solum ut agat, sed etiam ut agat propter finem cum cognitione
 finis*; atque perficit deinde qu. 13., ubi naturam electionis per-
 pendit. — His praenotatis,

11. Tria in praesenti Lectione oportet exponere atque pera-
 gere: 1) *Argumenta* contra concordiam physicae praemotionis
 cum libero arbitrio physice praemoto; 2) *Argumenta* pro con-
 cordia physicae praemotionis cum libero arbitrio physice praemoto;
 3) *Solutio* argumentorum in contra.

II.

12. *Argumenta* omnia, quae contra intrinsecam divinae gratiae efficaciam afferri solent, possunt reduci ad tria capita, scilicet 1) ad efficaciam ipsius divinae voluntatis; 2) ad infallibilitatem divinae sapientiae, quae voluntate adiuncta est causa efficiens omnium rerum; et 3) ad naturam ipsius divinae motionis, qua liberum hominis arbitrium physice movetur a Deo, dum exequitur ut Primus Motor ac Prima Causa ordinem generalem suae providentiae et ordinem specialem praedestinationis, quae, quantum ad obiecta, pars est providentiae. — Nullae sunt alicuius momenti difficultates, quae in hac materia non fuerint ab ipso Angelico Doctore excogitatae et convenienter solutae.¹ — Ex illis quaedam, quae principaliores videntur, diversis ex locis suorum operum depromuntur.

13. *Difficultates* sumptae ex **efficacia Divinae Voluntatis**. — 1) Videtur quod ex necessitate moveatur a Deo. Omne enim agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet. Sed Deo, cum sit infinitae virtutis, resisti non potest; unde dicitur ad Rom. cap. 9. v. 19: *Voluntati eius quis resistit?* Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem.

2) Omnis causa, quae non potest impediri, ex necessitate suum effectum producit; quia et natura semper idem operatur, nisi aliquid impediatur, ut dicitur lib. 2. Physic. — Sed voluntas Dei non potest impediri. Dicit enim Apostolus ad Rom. 9, 19: *Voluntati enim eius quis resistit?* — Ergo voluntas Dei imponit rebus volitis necessitatem.

3) Praeterea: possibile est, quo posito non sequitur impossibile. — Sequitur autem impossibile, si ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet; quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax. — Non ergo est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet. — Ergo necesse est eam hoc velle.

¹ Cardinalis Gonzalez in suo opere „*Estudios sobre la filosofia de Santo Tomàs*“, lib. 6. cap. 7: „No se dirá que Santo Tomàs desconocía, ni menos que desvirtuaba, la fuerza de las objeciones contra la libertad. I sin embargo lejos de abandonar ni modificar su doctrina en este punto, la confirma y desenvuelve al contestar à estas objeciones . . . Santo Tomàs manifiesta haberse formado una idea algo más filosófica de la acción de Dios, y más en armonía con las condiciones de la Omnipotencia divina, que los que creen descubrir en esa acción de Dios la muerte de la libertad humana. . . . La solución de Santo Tomàs es altamente filosófica, y la única que por la elevación del punto de vista en que se coloca, se halla en armonía con la gravedad e importancia de la objeción.“

4) Si homo ad eligendum movetur quodam interiori instinctu scilicet ab ipso Deo, *immobilitate* movetur. — Sed immobiliter moveri repugnat libero arbitrio, de cuius ratione est se habere indifferenter ad diversa. — Ergo si voluntas hominis immobiliter movetur a Deo, sequitur, quod homo non habeat liberam electionem suorum actuum.

5) Praeterea: dicere, quod Deus movet potentiam liberae voluntatis ad agendum per gratuitam motionem ex se et per se efficacem, idem est ac dicere, quod non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. — Sed si non est volentis velle, neque currentis, sed Dei moventis ad hoc hominem; videtur, quod homo non sit dominus sui actus; quod pertinet ad libertatem arbitrii.

6) Praeterea: non potest esse, quod liberum arbitrium creatum deficiat, voluntate divina physice illud per gratiam ex se efficacem praemovente; sic enim simul esset divina voluntas et **non esse** eius, quod est volitum a Deo: quod patet esse falsum. — Est igitur incompatibilis gratia ex se efficax cum libero arbitrio creaturae.

14. *Difficultates sumptae ex infallibilitate Divinae Praescientiae.* — 1) A causa enim necessaria procedit effectus necessarius. Sed scientia, qua Deus scit futura contingentia et libera, quae creatura rationalis ex deliberata voluntate faciet et vellet, est *causa efficiens* futurorum contingentium ac liberorum. — Ergo, cum scientia Dei sit necessaria, vel admittenda erit *Scientia media*; vel scientia Dei non erit contingentium; vel scientia futurorum liberorum, quae dicitur *Scientia visionis*, destruit liberum hominis arbitrium.

2) Si Deus scit futura contingentia libera, huiusmodi actiones liberi arbitrii creati necessario erunt; quia scientia Dei non est nisi verorum, et Deus falli non potest. — Sed **necessario** futurum esse et **libere** futurum esse, mutuo sese excludunt in uno eodemque actu liberae voluntatis. — Ergo vel admittenda *Scientia Media*, quae consequitur ad innatam propriam determinationem liberi arbitrii creati ante omne decretum Dei; vel si Deus scit futura libera *Scientia visionis*, quae decretum divinae voluntatis praesupponit, liberum arbitrium creatum perit atque de medio tollitur.

3) Praeterea: omne scitum a Deo necesse est esse; quia etiam omne scitum a nobis necesse est esse; cum tamen scientia Dei certior sit quam scientia nostra. — Sed nullum contingens futurum necesse est esse. — Ergo vel admittenda *Scientia Media*; vel si futurum contingens est scitum a Deo *Scientia visionis* dumtaxat, actum est de libero hominis arbitrio.

4) Praeterea: si aliqua causa habet certitudinem ad aliquem effectum, effectus ille ex necessitate proveniet, nisi aliquid possit resistere virtuti agentis; sicut dispositiones in corporibus inferioribus inventae resistunt interdum actioni corporum coelestium, ut non producant proprios effectus, quos necessario producerent, nisi esset aliquid resistens. — Sed praedestinationi divinae nihil potest resistere: *Voluntati enim eius quis resistit?* ut dicitur ad Rom. cap. 9, 19. — Ergo vel admittenda *Scientia* futurorum liberorum in Deo ante omne decretum voluntatis, et consequenter determinatio liberi arbitrii creati ex sua sola innata libertate, Deo excitante per suam gratiam, et consequenter praedestinatio post praevisa merita; vel aliter liberum arbitrium cadet oppressum sub aeterno Divinae voluntatis decreto et sub gratia ab intrinseco efficaci, per quam fit in tempore, quod Deus ab aeterno decrevit.

5) Praeterea: aliquis praedestinatus quandoque est in peccato mortali; sicut patet de Paulo, quando Ecclesiam persequebatur. — Potuit autem in peccato mortali perseverare usque ad mortem, vel statim tunc interfici; quorum utrolibet posito, praedestinatio effectum suum non consequeretur. Ergo possibile est, praedestinationem non consequi effectum suum. Vel neganda igitur est gratia ex se et per se efficax; vel tollenda contingentia rerum ac indifferentia ad opposita liberi arbitrii.

6) Praeterea: quod potest esse et non esse, non habet aliquam certitudinem. Sed praedestinatio Dei de salute alicuius potest esse et non esse; sicut enim potuit ab aeterno praedestinare et non praedestinare, ita et nunc potest praedestinare et non praedestinare: cum in aeternitate non differant praesens, praeteritum et futurum. Ergo praedestinatio non habet certitudinem, nisi forte illam certitudinem proveniente[m] *ex innata liberi arbitrii creati determinatione*, quae ante omne decretum Divinae Voluntatis respicitur a Deo in speculo *Scientiae Mediae*.

7) Praeterea: in omnibus potentiis, quae non sunt praedeterminatae ad unum, quod potest esse, potest non esse. — Sed potentia praedestinantis ad praedestinatum, et potentia praedestinati ad consequendum praedestinationis effectum sunt huiusmodi; quia et praedestinans voluntate praedestinat et praedestinatus voluntate effectum praedestinationis consequitur. Ergo praedestinatus potest non esse praedestinatus. — Quod idem dicendum de physica Dei motione tam in ordine naturae quam in ordine gratiae. Nam Deus movens voluntate movet; et homo motus a Deo voluntatem divinae motionis consequitur. — Neganda est ergo efficacia intrinseca cunctae Divinae motionis. — Aut neganda indifferentia liberae voluntatis humanae ad opposita.

15. *Difficultates* sumptae ex ipsa natura physicae praemotionis atque ex ipsa natura liberi arbitrii.

1) Liberum est, quod sui causa est; ut dicitur Metaphys. lib. 1. Quod ergo movetur ab alio, non est liberum. — Sed Deus movet voluntatem; dicitur enim Proverb. cap. 21, 1: *Cor regis in manu Domini, et quocumque voluerit, vertet illud*; et ad Philipp. cap. 2, 13: *Deus est, qui operatur in vobis velle et perficere*. — Ergo aut homo non movetur physice a Deo, aut homo non est liberi arbitrii.

2) Omne enim, quod movetur ab extrinseco, cogitur. Sed voluntas non potest cogi. Ergo non movetur ab aliquo extrinseco. — Ergo non potest moveri a Deo tamquam a Principio exteriori per modum causae efficientis, id est physica motione.

3) Praeterea: Deus non potest facere, quod contradictoria sint simul vera. — Hoc autem sequeretur, si voluntatem physice praemoveret; nam voluntarie moveri est ex se moveri et non ab alio. — Ergo Deus non potest physice voluntatem movere.

4) Praeterea: motus magis attribuitur moventi quam mobili: unde homicidium non attribuitur lapidi, sed proiicienti. — Si igitur Deus moveat voluntatem, sequitur, quod opera voluntaria non imputentur homini ad meritum vel demeritum. — Hoc autem est falsum. — Non ergo Deus movet voluntatem.

5) Praeterea: qui voluntarie agit, per se agere potest. — Sed hoc homini non convenit: dicitur enim Ioan. 15, 5: *Sine me nihil potestis facere*. — Ergo cum hoc conferatur homini per physicam Dei motionem, scilicet *ultimum posse agere*, seu quod idem est, *primum inchoare actum*, sequitur quod voluntarium in humanis actibus non invenitur.

6) Praeterea: omne, quod movetur, est sicut instrumentum. — Instrumentum autem non est liberum ad agendum. — Si ergo homo in agendo physice a Deo praemovetur, absque dubio est instrumentum divinae virtutis principaliter ipsum moventis. — Aut ergo homo non est liberi arbitrii, aut Deus per physicam suam motionem non utitur homine vel creatura rationali tamquam instrumento.

7) Praeterea: voluntas est domina sui actus. — Hoc autem non esset, si agere non posset, nisi Deo *in ipsa* operante; cum voluntas nostra non sit domina divinae operationis. — Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.

8) Praeterea: liberum est, quod causa sui est. — Quod ergo non potest agere, nisi causa *in ipso* agente, non est liberum in agendo. — Sed voluntas nostra est libera in agendo. — Ergo

potest agere, nulla alia causa in ipsa operante. — Ergo absque physica Dei praemotione.

9) Praeterea: voluntas incipit eligere, cum prius non eligeret. Aut ergo quia mutatur a dispositione, in qua prius erat, aut non. — Si non; sequitur, quod sicut prius non eligebat, ita nec modo; et sic non eligens eligeret: quod est impossibile. — Si autem mutatur eius dispositio, necesse est, quod ab aliquo sit mutata; quia *omne, quod movetur, ab alio movetur*. — Movens autem imponit necessitatem mobili, alias non sufficienter moveret ipsum. — Ergo voluntas ex necessitate movetur.

10) Praeterea: ad libertatem liberi arbitrii pertinet, ut aliquis sit dominus sui actus. — Sed cuiuscumque agentis **actus** ab aliquo priori agente causatur, ipse agens non est dominus sui actus. — *Cum igitur cuiuslibet creaturae actus in causam priorem reducatur, quae est ipse Deus*, qui omnia opera nostra in nobis operatur; videtur, quod liberum arbitrium in creatura nulla invenitur.

III.

16. Conclusio: *Gratia ex se efficax, qua Deus physice movet potentiam liberi arbitrii ad opera salutaria, non modo non laedit nec minuit liberum arbitrium creatum, verum ipsum auget quoque atque perficit.*

17. Probatur primo ex auctoritate S. Augustini. — Primo ex dictis supra¹ iuxta S. Augustinum unus ex sex characteribus essentialibus gratiae ex se et per se efficax est: „*Augere ipsam libertatem voluntatis humanae.*“

Deinde: de gratia et libero arbitrio cap. 20. ait de gratia Dei: „*Satis me disputasse arbitror adversus eos, qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam; et cum bona fuerit, adiuvatur.*“

Praeterea: lib. de correptione et gratia cap. 12: „*Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur; et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.*“

Amplius: lib. 4. contra duas epistol. Pelagianorum cap. 6., exponens illa verba Ezechielis 36: *Spiritum meum dabo in vobis, et faciam, ut in iustificationibus meis ambuletis . . .* etc. ait de Pelagianis: „*Adversus Manichaeos laudant liberum arbitrium adhibentes propheticum testimonium: quid eis hoc prodest? quandoquidem non contra Manichaeos defendunt, quam contra*

¹ Cf. Vol. XVI. pag. 51 sqq. huius Annuarii.

Catholicos extollunt liberum arbitrium . . . Quid adhuc vos inflatis? Nos quidem ambulamus, verum est; nos observamus, nos facimus; sed ille (Deus) facit, ut ambulemus, ut observemus, ut faciamus. — Haec est gratia Dei bonos faciens nos; haec est misericordia eius praeveniens nos . . . Quid mihi obtendis liberum arbitrium, quod ad faciendum iustitiam liberum non erit, nisi ovis fueris? Qui facit igitur oves homines, ipse ad obedientiam pietatis humanas liberat voluntates.“

Adhuc lib. 4. contra Iulianum cap. 8: „*Asseris me in alio libro meo dixisse: ‚Negari liberum arbitrium, si gratia commendetur; et iterum negari gratiam, si liberum commendetur arbitrium‘. Calumniaris: non hoc a me dictum est; sed propter ipsius quaestionis difficultatem videri hoc posse dictum est et putari . . . Redde verba mea, et vanescet calumnia tua. Repone suis locis, ubi dixi: ‚videatur‘, ubi dixi ‚putetur‘; ut appareat de re tanta, quibus abs te fraudibus disputetur. — Non dixi: negari gratiam, sed: ut negari gratia videatur. — Non dixi: negari liberum arbitrium vel auferri, sed dixi: ut putetur auferri — Ego enim dixi istam quaestionem esse ad discernendum difficilem; non autem dixi: non posse discerni.“*

Ac denique lib. de corrept. et gratia cap. 8.: „*Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam, libertas defenditur voluntatis! Voluntas quippe humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratia potius libertatem, et ut perseveret, delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem.“* — Et cap. 11: „*Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus. Quod non fuit in homine primo; unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Neque ut reciperet bonum, gratia non egebat, qui nondum perdidit; ut autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiae, sine quo id omnino non posset, et accipere posset, si vellet; sed non habuit velle, quod posset; nam si habuisset perseverasset. — Posset enim perseverare, si vellet; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio: quod tum ita liberum erat, ut et bene velle posset et male. Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit servire peccato, quae futura erat et homini, sicut facta est angelis sanctis, merces meriti? Nunc autem per peccatum perduto bono merito in his, qui liberantur, factum est donum gratiae, quae merces meriti futura erat.“* — Et cap. 12 concludit: „*Prima ergo libertas voluntatis erat, posse non peccare; novissima erit multo maior, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori; novissima erit multo*

maior, non posse mori. Prima erat perseverantiae potestas, bonum posse non deserere; novissima erit felicitas perseverantiae, bonum non posse deserere. Numquid quia erunt bona novissima potiora atque meliora, ideo fuerint illa prima vel nulla vel parva? — Et iterum cap. 11: „Haec prima est gratia, quae data est primo Adam; sed hac potentior est secundo Adam. Prima est enim, qua fit, ut habeat homo iustitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, et tantum velit tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adiuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret; sed hoc adiutorium, si vellet, desereret. Haec autem tanto maior est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem; parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur, ut velit.“

Quam quidem pulcherrimam de gratia ex se et per se efficaci notionem, unde liberum hominis arbitrium extollitur atque usque ad summum suae perfectionis elevatur, rursus tradit S. Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 30: „Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit et peccare; hoc autem novissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suae possibilitate naturae. Aliud est enim esse Deum; aliud participem Dei. Deus natura peccare non potest; particeps vero Dei ab illo accipit, ut peccare non possit. — Servandi autem erant gradus divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo peccare non posset; atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum praemium pertineret. — Sed quia peccavit ista natura, cum peccare potuit; largiore gratia liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitatis fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit non posse mori; ita primum liberum arbitrium, posse non peccare, novissimum non posse peccare. Sic erit inadmissibilis voluntas pietatis et aequitatis, quomodo est felicitatis. . . . Erit ergo illius Civitatis et una in omnibus et inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, et impleta omni bono, fruens indeficienter aeternorum iucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita poenarum; nec tamen ideo suae liberationis oblita, ut Liberatori suo non sit grata.“

18. Probatur secundo ex auctoritate S. Bernardi. — Lib. de gratia et libero arbitrio cap. 14: „*Ipsa (gratia) liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducatur ad actum; servat, ne sentiat defectum . . . Totum quidem hoc (liberum arbitrium) et totum illa (gratia); sed ut totum in illo, sic totum ex illa.*“

19. Probatur tertio ex auctoritate Divi Thomae. — Comp. Theolog. cap. 130: „*Cum actus voluntatis sit inclinatio quaedam ab interiori ad exterius procedens, . . ., actus voluntatis a solo Deo est, qui solus causa est naturae rationalis voluntatem habentis. Unde patet, quod non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis moveat.*“

Praeterea 2. ad Corinth. cap. 3. lect. 1.: „*Deus homines movet et omnia, quae agunt, ad actiones suas, sed aliter et aliter. Cum enim huius modi motus sit quoddam receptum in moto, oportet quod hoc fiat secundum modum suae naturae, id est rei motae. Ea ergo, quorum natura est, ut sint liberae voluntatis, dominium suarum actionum habentia, movet libere ad operationes suas, sicut creaturas rationales et intellectuales.*

Amplius: ibidem lect. 3.: „*Ubi Spiritus Domini, ibi libertas; . . . quia liber est, qui est causa sui . . . Quicumque ergo agit ex seipso, libere agit . . . Qui vitat mala, quia mala, est liber. — Hoc autem facit Spiritus Sanctus, qui mentem interiorius perficit per bonum habitum, ut sic ex amore caveat, ac si praeciperet lex divina; et ideo dicitur liber, non quin subdatur legi divinae, sed quia ex bono habitu inclinatur ad hoc faciendum, quod lex divina ordinat.*“

Adhuc ad Roman. cap. 6. lect. 4.: „*Servite Domino in laetitia; o Domine, quia ego servus tuus. — Haec autem vera est libertas et optima servitus; quia per iustitiam homo inclinatur ad id, quod convenit ipsi, et avertitur ab eo, quod convenit concupiscentiae, quod est maxime bestiale . . . Hoc ipsum, quod bona operamur, et quod opus nostrum est dignum vita aeterna, est a gratia Dei.*“ — Quod quidem etiam explanat 2. 2. qu. 183. a. 4.

Amplius in opusc. de rationibus fidei cap. 10.: „*Sicut autem divina scientia contingentibus necessitatem non imponit, sic nec eius ordinatio, qua provide ordinat universa. Sic enim ordinat res, sicut agit res; non enim eius ordinatio causatur; sed quod per sapientiam ordinat, exequitur per virtutem. — In actione autem divinae virtutis hoc considerare oportet, quod operatur in omnibus et movet singula ad suas actus secundum modum uniuscuiusque; ita quod quaedam ex motione divina ex*

necessitate suas actiones perficiunt, ut patet in motibus coelestium corporum; quaedam vero contingenter, quae interdum a propria actione deficiunt, ut patet in actionibus corruptibilium: arbor enim quandoque a fructificando impeditur, et animal a generando. — Sic ergo divina Sapientia de rebus ordinat, ut ordinata proveniant secundum modum propriarum causarum. — Est autem hic modus naturalis homini, ut libere agat, non coactus; quia rationales potestates ad opposita se habent. — Sic igitur Deus ordinat de actibus humanis, ut actus humani necessitate non subdantur, sed proveniant ex arbitrii libertate.“ — Unde ipsa virtus, qua Deus agit res ac movet illas, est radix prima ipsius libertatis, qua homo libere agit.

Praeterea in Evang. Matthaei cap. 10. scribit: „*Notandum, quod omnis actio, quae ex duobus causatur, quorum unum est principale agens, secundum vero instrumentale, debet denominari a principali. Isti (Apostoli et Sancti) fuerunt agentes instrumentaliter, Spiritus Sanctus principaliter: ideo tota actio debet denominari a Spiritu Sancto. — Sed videndum, quod aliquando movet spiritus perturbando rationem, aliquando movet confortando. Unde haec differentia est inter motum diaboli et Spiritus Sancti. — Homo enim non est dominus nisi per rationem, per quam est liber, unde quando homo secundum rationem non movetur, tunc est motus arreptitius. Quando cum ratione, tunc dicitur motus a Spiritu Sancto. Motio enim diaboli perturbat rationem. — Isti autem, licet a Spiritu Sancto loquerentur, tamen remanebat in eis ratio; et ideo etiam a se loquebantur, non sicut arreptitii.“*

Motio itaque divina movet confortando iudicium rationis; et ideo movet augendo et perficiendo liberum hominis arbitrium.

20. Probatur quarto ex Concilio Tridentino sess. 6. canone 4.: „*Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac preparet; neque posse dissentire, si velit; sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere: anathema sit.“*

Primo: Hic agitur de illa motione, qua Deus tangit cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, et qua homo motus et excitatus incipit se movere ad iustitiam coram Deo libera sua voluntate.

Secundo: Haec igitur motio nihil aliud est nisi *gratia praeveniens*, quae est duplex, nempe *excitans* atque *adiuvans*. — Excitans quidem hominis voluntatem per viam intellectus, ex

parte obiecti, ab intrinseco potentiae cognoscitivae, sed ab extrinseco potentiae volitivae; motione physica in intellectum et motione morali in voluntatem. — Aduvans autem hominis voluntatem ex parte ipsius potentiae, ab intrinseco ipsius voluntatis, motione physica in ipsam voluntatem.

Tertio: Idcirco huiusmodi motio gratuita est gratia excitans, in quantum Deus ut Auctor ordinis supernaturalis movet potentiam liberi arbitrii per modum finis, per modum allicientis atque terrentis; et tunc est, cum homines „libere moventur in Deum credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt“; et „dum peccatores se esse intelligentes a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.“ — Est gratia adjuvans, in quantum ipse Deus ut Auctor ordinis supernaturalis movet quoque potentiam liberi arbitrii per modum agentis, per modum alterantis et impellentis, ut Primus Motor in ratione causae efficientis; et voluntas intrinsece ac physice transmutata incipit *Deum tamquam omnis iustitiae fontem diligere; ac propterea movetur adversus peccata per odium aliquod et detestationem.* (Trid l. c. cap. 6.)

Quarto: Huiusmodi supernaturales actus, per quos homo disponitur seu praeparatur ad iustificationem consequendam, procedunt semper a gratia actuali, a gratuita motione, a Spiritu Sancto; sed possunt procedere a Spiritu Sancto dupliciter: 1 „a Spiritus Sancti impulsu, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis; 2 „a Spiritus Sancti impulsu, non tantum moventis, sed etiam iam inhabitantis.“

Quinto: Primo modo actus fidei, spei, dilectionis et doloris sunt imperfecti; et praeparatio ad gratiam sanctificantem praecedat tempore. Alio modo actus fidei, spei et dilectionis et doloris sunt perfecti; et praeparatio ad gratiam sanctificantem est simul cum ipsa gratiae et charitatis infusione; et motus liberi arbitrii in Deum per fidem, spem et caritatem et in peccatum per odium et detestationem procedunt ab ipsa gratia iustificante et sunt informati caritate; et liberum arbitrium intrinsece transmutatum est de malo in bonum, de averso a Deo in Deum per amorem conversum, de statu iniustitiae ad statum iustitiae.

Sexto: In praedicta transmutatione liberum arbitrium motum et excitatum libere consentit, libere cooperatur Deo vocanti et excitanti et moventi, et libere consentiendo movetur ab ipso Deo ad acceptandum iustificantis gratiae donum: ita quod „motus liberi arbitrii naturae ordine praecedat consecutionem gratiae, sequitur autem gratiae infusionem“. — „Ille tamen motus non

est causa gratiae, sed effectus; unde tota operatio pertinet ad gratiam.“ — (1. 2. qu. 111. a. 2. ad 2. et qu. 113. a. 8. ad 2.)

Septimo: Concilium Tridentinum loquitur de gratia praeveniente, quae est et excitans et adiuvens, et cui libere assentiendo et cooperando homo disponitur ad gratiam sanctificantem suscipiendam; sive haec dispositio praecedat tempore ipsam susceptionem gratiae gratum facientis; sive haec dispositio praecedat tantum ordine naturae considerando gratiae iustificantis consecutionem ex parte mobilis, quod est liberum arbitrium motum et excitatum a Deo per ipsius gratiae et caritatis infusionem; ut iam declaratum fuit supra quaest. de iustificatione art. 8.

De hac igitur motione et excitatione liberi arbitrii, sub qua homo renovatur interius per voluntariam susceptionem gratiae et donorum, loquitur Concilium Tridentinum, dum affirmat:

1) Quod liberum arbitrium sic motum et excitatum a Deo revera agit atque exercet suam activitatem, assentiendo Deo excitanti atque vocanti;

2) Quod liberum arbitrium sic motum et excitatum **potest** dissentire, si velit. — Quoniam, ut docet Divus Thomas 1. ad Corinth. cap. 12 lect. 1.: „*Non enim per Spiritum Sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi a libero arbitrio totaliter in vita praesenti.*“

Unde ex parte Spiritus Sancti moventis liberum arbitrium, „*necesse est dicere, quod motio Spiritus Sancti semper est efficax secundum suam intentionem. Operatur enim in anima Spiritus Sanctus dividens singulis prout vult, ut dicitur ad Corinth. Cap. 12.; et ideo quibus Spiritus Sanctus pro suo arbitrio vult dare perseverantem divinae dilectionis motum, in his peccatum caritatem excludens esse non potest.* — **Dico non posse ex parte virtutis motivae; quamvis possit ex parte vertibilitatis liberi arbitrii.**“ — Haec est doctrina Divi Thomae 2. 2. qu. 24. a. 11. et Qu. Disput. de carit. qu. unica a. 12.

Et hoc est, quod definivit Concilium Tridentinum. Nam „Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum Divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis, *Summam Thomae Aquinatis* super altari patere voluerunt, unde consilium rationes oracula peterentur.“ — (Leo XIII. Aeterni Patris.¹)

¹ Apte ad propositum *Berti* de Theolog. Disciplin. lib. 14 cap. 11. N. 4.: „Concilium ergo Tridentinum non definit, gratiam praevenientem non esse per se efficacem, imo id confirmat; et damnando memoratam haeresim (Protestantium) declarat, sub hac efficaci gratia consistere **potentiam** ad oppositum et libertatis indifferentiam. — Primo enim, cum

21. Probatur quinto: *Ex Catechismo Concilii Tridentini Pii V. Pontificis Maximi iussu promulgato P. 1. art. 1. n. 22:* „Non solum autem Deus universa, quae sunt, providentia sua tuetur atque ministrat, verum etiam quae moventur et agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, praeveniat tamen; cum eius occultissima vis ad singula pertineat, et quemadmodum Sapiens testatur, attingit a fine usque ad finem fortiter et disponat omnia suaviter. — Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annuntiaret Deum, quem ignorantes colebant: *Non longe est ab unoquoque nostrum; in Ipso enim vivimus et movemur et sumus.*“

Haec igitur est physica praemotio; haec gratia ex se efficax, quae praemotio physica est in ordine supernaturali, nempe *intima virtus Dei, secundarum causarum efficientiam 1) non impediens; 2) praeveniens; 3) ad motum atque actionem impellens; 4) attingens a fine usque ad finem fortiter; 5) et disponens omnia suaviter.*

Unde Divus Thomas 1. P. qu. 18. a. 4. ad 1.: „*Et hoc modo intelligendum est verbum Apostoli dicentis: In Ipso vivimus, movemur et sumus; quia etiam nostrum vivere et nostrum esse et nostrum moveri causantur a Deo.*“

IV.

22. Probatur sexto Conclusio: *Argumentis Divi Thomae,* quae quidem depromuntur:

Primo *ex parte Dei moventis.* — 1. 2. qu. 10. a. 4.: „Respondeo dicendum quod, sicut Dionysius dicit de divin. nominib.

haeretici, ex praemotione Dei et doctrina de gratia per se efficaci, mala consecutione inferrent, liberum arbitrium non cooperari Deo moventi; definit Synodus Tridentina praemoveri utique et excitari, sed liberum arbitrium non rapi necessitate, sed etiam motum et excitatum posse dissentire, si velit. — Doctrinam ergo de Gratia per se efficaci **veram** supponit et confirmat; **consequentiam Calvinii** merito negat et damnat. — Nec enim definitum est a Tridentini Patribus, ideo liberum posse dissentire, quoniam excitatur et praemovetur gratia dumtaxat indifferenti: id in nullo Tridentini canone legimus. — Imo si hoc erat mens Patrum, cur id expressis terminis non declarare et Calvinianam haeresim subvertere a fundamento?“ Hactenus Berti. *Molina* etiam in sua Concordia qu. 23. a. 4. Disput. 1. memb. ult. scribit, quod „Lutherani impudenter arbitrii nostri libertatem sunt ausi negare . . . ex Augustini opinione.“ — Non ergo damnavit Concilium Tridentinum doctrinam Augustini et Divi Thomae; sed **consequentiam malam Calvinii, et impudentiam Lutheranorum.** — Non ergo decet viros catholicos hanc Lutheranorum impudentiam imitari nec cum Calvino mala consecutione pessimum consequens inferre.

cap. 4., ad Providentiam Divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem divinam sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes. — Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus eius contingens et non necessarius nisi in his, ad quae naturaliter movetur.“

Hoc est argumentum capitale in quaestione de concordia liberi arbitrii cum divina motione, sive in ordine generali Providentiae, sive in ordine speciali Praedestinationis. — Hoc etenim argumentum, quod Divus Thomas evolvit perducendo illud usque ad ipsam efficaciam Divinae Voluntatis, ut patebit infra, complet alternata vice doctrinam traditam ab ipso Angelico Doctore de Potent. qu. 3. a. 7. circa multiplices modos, quibus Deus operatur in omni operante, et operatur immediate, non exclusa operatione voluntatis et naturae.

Primus modus operandi est, in quantum Deus dat virtutem nobis libere operandi, hoc est *potentiam liberi arbitrii*; secundus modus operandi est, in quantum Deus conservat in suo esse *potentiam liberi arbitrii*; tertius modus operandi est, in quantum Deus movet et applicat ad agendum *potentiam liberi arbitrii*; quartus modus operandi est, in quantum virtute Dei virtus propria *liberi arbitrii* agit. — Dum ergo Deus operatur primo modo, non destruit, sed ex nihilo educit ipsam virtutem operativam liberi arbitrii; dum operatur secundo modo, non destruit, sed quod fecerat, conservat in esse facto; dum operatur tertio modo, non destruit, non laedit, non minuit, sed quod fecit et in esse facto tenet, complet, auget, perficit; et dum operatur quarto modo, conservat in esse virtutem, quam contulit libero arbitrio per tertium modum operandi, et per quam virtus propria liberi arbitrii completur, augetur et perficitur.

Unde hoc argumentum sic breviter exponitur a Divo Thoma de Pot. qu. 3. a. 4.: „*Omnes secundae causae agentes a Primo Agente habent hoc ipsum quod agant.*“ — Sicut enim a Deo, ut est Creator, habemus potentiam liberi arbitrii; et a Deo, ut est Conservator, habemus potentiam liberi arbitrii in suo esse perdurantem; ita a Deo, ut est Primum Agens, habemus potentiam liberi arbitrii 1) reductam de potentia in actum, 2) agentem.

23. *Alterum argumentum: ex ipsa natura Divinae motionis.* — De Potentia qu. 3. a. 7. ad 7.: „Id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, . . . est vis, qua agit ad esse ut

instrumentum Primae Causae.“ — Sed manifeste apparet, quod *vis*, qua creatura rationalis agit ad *esse* suae propriae operationis, ut instrumentum Dei, qui est Primum Volens, non minuit sed auget, non laedit sed perficit potentiam omnis voluntatis creatae.

Praeterea ex dictis supra¹ physica motio, ideoque et gratia ex se efficax, est: 1) *aliquid reale, receptum in potentia liberi arbitrii*; 2) *aliquid reale, causatum a solo Deo*; 3) *aliquid reale, causatum in potentia liberi arbitrii per modum actuantis, complentis et perficientis.*

Non ergo destruit potentiam liberi arbitrii, sed aedificat; non minuit, sed amplificat.

Rursus ex dictis supra Lect. LII.² notae sive attributa gratiae ex se efficaci sunt: 1) *auferre duritiam cordis, per quam homo resistit Spiritui Sancto*; 2) *transmutare liberam hominis voluntatem de mala in bonam*; 3) *inclinare illam ad bene agendum indeclinabiliter*; 4) *augere ipsam hominis libertatem*; 5) *conferre libero hominis arbitrio, ut perseveret in bono*; 6) *discernere bonos a malis.*

Non igitur potentiam liberi arbitrii mortificat, sed vivificat; non humiliat, sed exaltat; non deprimit, sed elevat.

24. *Tertium argumentum: ex ipsa natura liberi arbitrii.*

— Ex dictis supra Lect. LIV. liberum arbitrium creatum indiget physice moveri a Deo, ut possit agere, libere agere, bene agere et meritorie agere, ex eo quod: 1) *non est actus purus*; 2) *habet rationem causae instrumentalis*; 3) *est liberum per participationem*; 4) *est causa agens subordinata*; 5) *ex viribus naturalibus nullam habet potentiam ad opera salutis, nisi passivam ac obedientialem.*

Idcirco nec physica praemotio nec gratia ex se efficax, quae est praemotio physica in ordine ad vitam aeternam, possunt laedere naturam liberi arbitrii, quae per huiusmodi divinam motionem semper melioratur semperque perficitur; ac Libero Arbitrio Divino, qui est Actus Purus et per essentiam Liberum, redditur, in quantum a Deo praemota, magis propinqua, magis similis, magis de libertate participans.

Praeterea: Liberum arbitrium creatum est potentia se habens ad utrumlibet, potentia habens indifferentiam atque indeterminationem in agendo. — Sed duplex est indifferentia, duplex quoque indetermination, videlicet indifferentia passiva, quae involvit potentialem, et indetermination per carentiam actus, quae est,

¹ De natura physicae praemotionis: Vol. XVI. p. 216 sqq. huius Annuarii.

² „Divus Thomas“ Ser. 2. Vol. 3.

indeterminatio involvens imperfectionem; sicut indeterminatio et indifferentia materiae ex privatione formae, ex carentia actus primi. — Alia indifferentia est activa seu potestatis: haec est indifferentia non ex carentia actus, sed ex dominio ipsius; haec est indeterminatio, quae importat eminentiam ad agendum plura, ad tendendum in hoc vel illud bonum, ad volendum illud vel non volendum: et est quid simile indeterminati formae, quae non indiget recipi in materia ad subsistendum.

Iam vero prima indifferentia, quae non conducit ad agendum, sed magis obest, primaque indeterminatio, quae procedit ex elongatione ab actu, tolluntur per physicam praemotionem. — Altera vero indifferentia, quae est dominativa actus et obiecti, a quo specificatur actus; altera indeterminatio, quae oritur ex libero rationis iudicio, et in qua consistit essentia libertatis; causantur primo et principaliter ab ipso Deo per physicam praemotionem. — Quoniam per physicam praemotionem removetur status potentialis liberi arbitrii, quae est facultas voluntatis et rationis; et utraque potentia, quae antea erat elongata ab agendo, actuatur, ut de facto operetur; coniungitur suae uniuscuiusque propriae operationi, ut agat. — Et adhuc physica praemotio, quae est effectus causatus a solo Deo in potentia liberi arbitrii, se habet respectu ipsius actus liberi in ratione principii efficientis, sicut ipsa virtus liberi arbitrii, cuius est complementum. — Unde actus liber procedit a Deo **mediante virtute propria** liberi arbitrii et **mediante virtute**, quae confertur per applicationem ipsius liberi arbitrii ad agendum.

Igitur per physicam praemotionem removetur indifferentia et indeterminatio, quae sunt de imperfectione liberi arbitrii; et causatur immediate immediatione virtutis ipse actus liberi arbitrii; et proinde perficitur indifferentia activa et indeterminatio eminentiae, quae sunt de essentiali liberi arbitrii entitate.

Rursus processus actus liberi ita se habet: 1) voluntas per hoc, quod vult finem, movet seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem; unde postquam mota est ab intellectu secundum rationem obiecti, movetur a seipsa quantum ad exercitium actus secundum rationem finis; 2) voluntas incipit movere seipsam ad volendum ea, quae sunt ad finem, movendo intellectum, ut inquirat illa ante iudicium de illis eligendis; et haec inquisitio consilium vocatur; 3) intellectus pronuntiat iudicium, quod est quasi conclusio et determinatio consilii; 4) haec autem determinatio, in qua consistit essentia liberi arbitrii, reduplicative ut actualiter agentis, amplectitur duos actus, scilicet **actum rationis** determinantis consilium de agendis hic et nunc per suam

sententiam, et **actum voluntatis** acceptantis ultimum iudicium practicum rationis. — Et tunc perficitur atque consummatur **actus humanus**. — Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem: unde liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis et rationis. Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur, quae ex voluntate deliberata procedunt. — 1. 2. qu. 1. a. 1.; qu. 9. a. 3.; qu. 14. a. 1.; et 1. P. qu. 83. a. 3. ad 2.

Sic enim homo agit voluntate: „*voluntatis autem principium est electio et electionis consilium. Omnium motuum interiorum mentium principium est a Deo movente. — Deus movet omnia secundum modum eorum; et ideo motio divina a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita; et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen homo potest huic motioni resistere; et sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam praeparet; sed quod gratia careat, non habet causam a Deo, sed ab homine secundum illud Oseae cap. 13. v. 9: „Perditio tua ex te, Israel; tantummodo ex me auxilium tuum.“* — (Quodlib. 1. a. 7.)

Argumentum quartum. — Ex dictis supra¹ per physicam motionem Deus agit immediate: 1) immediatione suppositi in **potentiam** liberi arbitrii, quae est facultas voluntatis et rationis, 2) immediatione virtutis in **actum** liberi arbitrii, id est in determinationem consilii *per sententiam rationis et per acceptationem appetitus.*

Ergo a Deo procedit, mediante potentia liberi arbitrii, quidquid est veri in apprehensione intellectus, quidquid recti in sententia rationis, quidquid boni et honesti in acceptatione appetitus, quidquid denique ordinati et laudabilis in actu humano.

Ut enim ait D. Thomas de Verit. qu. 28. a. 3. ad 9.: „*Potentia completur per actum, per quem determinatur ad alterum oppositorum, de se in potentia existens ad utrumque; sicut materia in potentia existens ad plures formas per dispositiones aptatur ad unam formam magis quam ad aliam.*“ — Determinatio autem ad unum fit: 1) per rationem deliberando; 2) per voluntatem acceptando iudicium rationis. Sed ratio non deliberat, nisi Deo movente; ratio non recte iudicat, nisi Deo illuminante; nec voluntas movet rationem ad deliberandum, nisi Deo praemovente; nec postea deliberantis rationis iudicium acceptat, nisi Deo reducete ipsam de potentia in actum. — Divina itaque motio est principium efficiens deliberationem et principium

¹ Vol. XVI. p. 56 sqq. 62 sqq. huius Annuarii.

efficiens electionem, ergo principium efficiens determinationem ad unum et conferens libero arbitrio, ut seipsum ad unum determinet.

Unde Div. Thomas lib. 4. Sent. dist. 49. qu. 1. a. 2. solut. 1.: „*In omni ordine mobilium et motorum oportet secundos motores ordinari in finem Primi Motoris per dispositionem impressam in eis a Primo Motore . . . Et quia omnia procedunt a Deo, in quantum bonus est; ideo omnia creata secundum impressionem a Creatore receptam inclinantur ad bonum appetendum secundum suum modum, ut sic in rebus quaedam circulatio inveniatur; dum a bono egredientia in bonum tendunt. — Haec autem circulatio in quibusdam perficitur creaturis, in quibusdam autem remanet imperfecta. Illae autem creaturae, quae non ordinantur, ut pertingant ad illud Primum Bonum, a quo processerunt, sed solummodo ad consequendam similitudinem eius qualemcumque, non perfecte habent hanc circulationem, sed solum illae creaturae, quae ad ipsum Primum Principium aliquo modo pertingere possunt: quod solum est rationabilium creaturarum, quae Deum ipsum assequi possunt per cognitionem et amorem; in qua assecutione beatitudo eorum consistit.*“ — „*Ad appetendam beatitudinem perfecto appetitu, qui sufficiat ad merendum, homo ex propriis viribus non est sufficiens; sed habet hoc ex munere divinae gratiae, ut patet 2. ad Corinthios cap. 5. v. 5.: Qui efficit nos in hoc ipsum Deus: id est qui facit nos veram gloriam appetere.*“

Sicque per gratiam ex se et per se efficacem, quae est physica motio in ordine supernaturali, circulatio a bono in bonum perficitur in creatura rationali, quae est capax vitae aeternae, et quae perducitur *in ipsam quasi a Deo transmissa, sicut sagitta a sagittante mittitur in signum.* — 1. P. qu. 23. a. 1.

26. *Argumentum quintum.* — Ex solutione omnium argumentorum, quam ad litteram ab ipso Divo Thoma accipiemus, ac per quam aperte liquebit, quae sit *concordia* liberi arbitrii cum physica praemotione, cum gratia ex se efficaci, cum voluntate Dei atque praescientia.

V.

27. *Solvuntur difficultates sumptae ex efficacia Divinae Voluntatis.*

1) „*Ad primum* ergo dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, *ut aliquid fiat* per rem, quam movet; sed etiam *ut eo modo fiat*, quo congruit naturae ipsius. — Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae.“ — 1. 2. qu. 10. a. 4. ad 1.

2) „*Ad secundum* dicendum, quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quae sic fieri vult.“ — 1. P. qu. 19. a. 8. ad 2.

3) „*Ad tertium* dicendum, quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter. — Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.“ — 1. 2. qu. 10. a. 4. ad 3.

4) „*Ad quartum* dicendum, quod Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas; sicut etiam in omnibus Providentia Divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabiliter, unumquodque secundum suum modum.“ — de Malo qu. 6. a. unico ad 3.

5) *Ad quintum* „dicendum est, quod Deus omnia movet, sed diversimode, in quantum scilicet unumquodque movetur ab eo secundum modum naturae suae; et sic homo movetur a Deo ad volendum et currendum per modum liberae voluntatis. — Sic ergo velle et currere est hominis *ut libere agentis*, non autem est hominis *ut principaliter moventis*, sed Dei.“ — Ad Roman. cap. 9. lect. 3. — De Malo qu. 6. a. unico ad 1.

6) *Ad sextum* „dicendum, quod quamvis **non esse** effectus divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate; tamen **potentia deficiendi** effectus simul stat cum divina voluntate. Non enim sunt ista impossibilia: *Deus vult istum salvari et ille potest damnari*. Sed ista sunt impossibilia: *Deus vult istum salvari et iste damnatur*.“ — De Veritat. qu. 23. a. 5. ad 3. et 4.

28. *Solvuntur difficultates sumptae ex infallibilitate Divinae Praescientiae.*

1) „*Ad primum* ergo dicendum, quod licet causa suprema sit necessaria, tamen effectus potest esse contingens propter causam proximam contingentem; sicut germinatio plantae est contingens propter causam proximam contingentem; licet motus solis, qui est causa prima, sit necessarius. — Et similiter scita a Deo sunt contingentia propter causas proximas; licet scientia Dei, quae est causa prima, sit necessaria.“

2) „*Ad secundum* dicendum, quod . . . si dicam: *Si Deus scit aliquid, illud erit*; consequens intelligendum est, prout

subest divinae scientiae, scilicet prout est in sua praesentialitate.“
— Ibid. ad 2. — Unde illud erit **necessario** necessitate consequentiae; sed *libere* necessitate consequentis. Erit enim **actus** et erit **liber**, quia utrumque scit Deus.

3) „*Ad tertium* dicendum, quod . . . ea, quae sunt scita a Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt divinae scientiae, non autem absolute, secundum quod in propriis causis considerantur.“ — Ibid. ad 3.

4) „*Ad quartum* dicendum, quod corpus coeleste agit in haec inferiora necessario quasi necessitatem inducens, quantum est de se; et ideo effectus eius necessario evenit, nisi sit aliquid resistens. Sed Deus in voluntatem agit, non per modum necessitatis, quia voluntatem non cogit; sed movet eam, non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit. — Et ideo quamvis divinae voluntati nihil resistat, tamen voluntas et quaelibet alia res exequitur divinam voluntatem secundum modum suum; quia et ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic eius voluntas impleretur; et ideo quaedam explent divinam voluntatem necessario, quaedam contingenter; quamvis illud, quod Deus vult, semper fiat.“ — De verit. qu. 6. a. 3. ad 3.

5) *Ad quintum* „dicendum, quod aliquid potest dici *posse* dupliciter: uno modo, considerando potentiam, quae in ipso est; sicut dicimus, quod lapis potest moveri deorsum. Alio modo considerando id, quod est ex parte alterius; sicut si dicerem, quod lapis potest moveri sursum non per potentiam, quae in ipso sit, sed per potentiam proiicientis. — Cum ergo dicitur: *Praedestinatus iste potest in peccato mori*, si consideretur potentia ipsius, verum est; si autem loquamur de praedestinatione secundum ordinem, quem habet ad aliud, scilicet ad Deum praedestinantem, sic ordo ille non compatitur secum **istum eventum**, quamvis compatitur secum **istam potentiam**.“ — De Verit. qu. 6. a. 3. ad 7.

6) *Ad sextum* „dicendum, quod absolute loquendo Deus potest unumquemque praedestinare vel non praedestinare, aut praedestinasse vel non praedestinasse; quia actus praedestinationis, cum mensuretur aeternitate, numquam cedit in praeteritum, sicut numquam est futurum, unde semper consideratur ut egrediens a voluntate per modum libertatis. Tamen ex suppositione hoc efficitur impossibile: non enim potest non praedestinare, supposito quod praedestinaverit vel e converso, quia mutabilis esse non potest; et ita sequitur, quod praedestinatio possit variari.“
— Ibid.

29. *Solvuntur difficultates sumptae ex ipsa natura physica praemotionis atque simul ex natura liberi arbitrii.*

1) *Ad primum* ergo „dicendum, quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum movet ad agendum. — Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa eius. — Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum eius proprietatem.“ — 1. P. qu. 83. a. 1. ad 3.

„Dicendum, quod operatur in unoquoque agente etiam secundum modum illius agentis; sicut Causa Prima operatur in operatione causae secundae, cum secunda causa non possit in actum procedere nisi per virtutem Causae Primae. — Unde per hoc, quod Deus est causa operans in cordibus hominum, non excluditur, quin ipsae humanae mentes sint causae suorum motuum: unde non tollitur ratio libertatis.“ — De Veritate qu. 24. a. 1. ad 3.

2) *Ad secundum* „dicendum quod illud, quod movetur ab altero, dicitur cogi, si moveatur contra inclinationem propriam; sed si moveatur ab alio, quod ipsi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi; sicut grave, cum movetur deorsum a generante, non cogitur. — Sic igitur Deus movendo voluntatem non cogit ipsam, quia dat ei eius propriam inclinationem.“ — 1. P. qu. 105. a. 4. ad 1.

Et rursus: „Dicendum, quod voluntas aliquid confert, cum a Deo movetur; ipsa enim est, quae operatur, sed mota a Deo; et ideo motus eius, quamvis sit ab extrinseco, sicut a Primo Principio, non tamen est violentus.“ — De Malo qu. 6. a. unico ad 4.

3) *Ad tertium* „dicendum, quod moveri voluntarie est moveri ex se, id est a principio intrinseco; sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio Principio extrinseco; et sic moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio.“ — 1. P. qu. 105. a. 4. ad 2.

Rursus: „Dicendum, quod non omne principium est principium primum. Licet ergo de ratione voluntarii sit, quod principium eius sit intra, non tamen est contra rationem voluntarii, quod principium intrinsecum causetur vel moveatur ab exteriori principio; quia non est de ratione voluntarii, quod principium intrinsecum sit Principium Primum.“ — 1. 2. qu. 6. a. 1. ad 1.

4) *Ad quartum* „dicendum, quod si voluntas ita movetur ab alio, quod ex se nullatenus moveretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum vel demeritum; sed quia per hoc, quod

movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex se, ut dictum est; ideo per consequens non tollitur ratio meriti vel demeriti.“

— 1. P. qu. 105. a. 4. ad 3.

Rursus: „Dicendum, quod homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excluditur, quin moveat seipsum per liberum arbitrium, ut ex supra dictis patet (q. 10. a. 4.); et ideo per suum actum meretur vel demeretur apud Deum.“

— 1. 2. qu. 21. a. 4. ad 2.

5) *Ad quintum* „dicendum, quod Deus movet hominem ad agendum, non solum sicut proponens sensui appetibile, vel sicut immutans corpus, sed etiam sicut *movens ipsam voluntatem*; quia omnis motus tam voluntatis quam naturae ab eo procedit sicut a Primo Movente. — Et sicut non est contra rationem naturae, quod motus naturae sit a Deo sicut a Primo Movente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei moventis; ita non est contra rationem actus voluntarii, quod sit a Deo, in quantum voluntas a Deo movetur. — Est tamen communiter de ratione naturalis et voluntarii motus, quod sint a principio intrinseco. 1. 2. qu. 6. a. 1. ad 3.

6) *Ad sextum* „dicendum, quod instrumentum dupliciter dicitur. Uno modo proprie; quando scilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei a movente **aliquod principium** talis motus, sicut serra movetur a carpentario; et tale instrumentum est expers libertatis. — Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est movens ab alio motum, sive sit in ipso **principium** sui motus sive non; et sic ab instrumento non oportet quod omnino excludatur ratio libertatis; quia aliquid potest esse ab alio motum, quod tamen seipsum movet; et ita est de mente humana.“ — De Verit. qu. 24. a. 1. ad 5. — Lege 3. P. qu. 7. a. 1. ad 3. et 1. 2. qu. 68. a. 3. ad 2.

7) *Ad septimum* „dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem Causae Primae, sed quia Causa Prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.“ — De Pot. qu. 3. a. 7. ad 13.

8) *Ad octavum* „dicendum, quod operatio illius agentis, quod per se agit, oportet ut in Primum Agens sicut in causam reducatur; quamvis enim huius modi entia per se agant, quia per propriam naturam et proprium iudicium actus suos determinant; non tamen a se habent, quod agant, sed a Primo Agente, quod eis et **esse** et **posse** et **agere** confert.“ — Lib. 2. Sent. dist. 37. qu. 1. a. 2. ad 5.

9) *Ad nonum* „dicendum, quod voluntas, quando de novo incipit eligere, transmutatur a sua priori dispositione quantum ad hoc, quod prius erat eligens in potentia et postea fit eligens in actu; et haec quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantum ipsa voluntas movet seipsam ad agendum, et in quantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, scilicet Deo. — Non tamen ex necessitate movetur, ut dictum est in corp. Art.“ — De malo qu. 6. a. unico ad 17.

10) *Ad decimum* „dicendo, quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum eius conditionem: unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem; in libero autem arbitrio hoc modo agit, *ut virtutem agendi* sibi ministret et, *ipso operante*, liberum arbitrium agat; sed tamen *determinatio* actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus, *licet non ita sicut Primo Agenti*.“ — Lib. 2. Sent. dist. 25. qu. 1. a. 1. ad 3.

Iterum: „Dicendum, quod cum dicitur aliquid movere seipsum, ponitur idem esse movens et motum; cum autem dicitur, quod aliquid movetur ab altero, ponitur aliud esse movens et aliud motum. — Manifestum est autem, quod cum aliquid movet alterum, non ex hoc ipso, quod est movens, ponitur, quod est Primum Movens: unde non excluditur, quin ab altero moveatur, et ab altero habeat similiter hoc ipsum, quod movet. — Similiter cum aliquid movet seipsum, non excluditur, quin ab alio moveatur, *a quo habet hoc ipsum*, quod seipsum movet: et sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrii.“ — De Malo qu. 3. a. 2. ad 4.

Rursum: „Dicendum, quod Deus operatur in voluntate et libero arbitrio secundum eius exigentiam: unde etiam si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc sua omnipotentia facit, ut *illud*, in quod mutatur, *voluntarie velit*.“ — Lib. 2. Sent. dist. 25. qu. 1. a. 2. ad 1.

„Ad actum liberi arbitrii nulla virtus est eo superior nisi Deus, quamvis forte aliqua alia virtus creata simpliciter potentior sit: unde nulla virtus creata liberum arbitrium cogere nec immutare potest. — Deus autem potest quidem immutare, sed non cogere eo modo, quo dicitur non posse facere, ut duo contradictoria sint simul.“

„Unde Ipse solus in voluntate operari potest et in ipsam imprimere; et ideo *diversitates* humanae voluntatis in **uniformitatem** Voluntatis Divinae reducuntur sicut in Primum Regulans.“ — Ibid. ad 3. et ad 5.

